



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Terraconen. Archiepisc.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

suæ facultatem liberam tribuisti. Post hæc autem ad suggestionem & instantiam quorundam Militum & etiam Clericorum, te ad episcopatum denuo proprio motu reverso, cum in parte ipsius diocesis tanquam Episcopus ministrares, Aragones & Brabancones cū vicinis Militibus in manu forti ad Vrgellen. Ecclesiam & hostiliter accedentes, eam bonis omnibus spoliarunt, pannos sericos, ornamenta omnia, calices, & cruces argentæ asportantes & parochianis ducentis & ampliùs, Clericis, & Canonicis de gremio ipsius violenter eductis, & etiã captivatis; Ecclesiam ipsam homicidiis, adulteriis, & aliis variis immunditiis feritate diabolica polluerunt. quibus omnibus propter inutilitatem tuam te opponere minimè potuisti. Porro videns his malis prævenientibus quòd Ecclesia eadem denuo ad extremam inanitionem penitus devenisset, & sentiens te ad ipsius Ecclesiæ regimen inutilem & insufficientem existere, iteratò renuntians renuntiationem ipsam bonæ memoriæ Celestino Papæ prædecessori nostro & Terraconensi Ecclesiæ per literas indicasti, & quantum in te fuit, Canonicis Vrgellen. eligendi sibi pastorem tribuisti denuo facultatem. Vnde pro his & aliis multis præfati Episcopi nobis per suas literas supplicarunt ut cessionem tuam ratam habentes, sicut etiam tu ipse à nobis per literas proprias postulasti, Canonicis sæpeditis liberam daremus licentiam eligendi. Cùm itaque secundum Apostolum instantia nostra quotidiana sit omnium Ecclesiarum sollicitudo continua, nos & necessitatibus Vrgellen. Ecclesiæ inclinati, quæ per te non posset de lacu miseræ liberari, & tam ejus quàm præmissorum Archiepiscopi & Episcoporum petitione devicti, renuntiationem tuam urgente necessitate suscepimus, & te à pontificali onere pariter & honore, quæ secundum traditionem canonicam non sunt abinvicem regulariter separanda, sicut tu minùs providè facere satagebas, qui rejecta oneris sarcina honorem tibi retinere volebas, auctoritate præsentium de consilio fratrum nostrorum decernimus absolutum; ut in Ecclesia de Aspirano Deo valeas (sicut à nobis ex parte tua petitum) amodo deservire, facultatem tibi liberam concedentes. Nulli ergo omnino &c. Datum Laterani.

CAPITVLO VRGELLEN.

Sicut venerabilis frater noster Terraconen. &c. *ferè in eundem modum ut supra usque ad verbum* concedentes. Nolentes igitur ut Ecclesia vestra, in medio nationis perversæ posita, pro defectu Prælati maneat ulteriùs desolata, & gregi dominico diù desit cura pastoris, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus convenientes in unum, & Spiritus sancti gratia invocata, talem vobis personam in Episcopum & pastorem animarum vestrarum canonicè præficere studeatis, qui Clero & populo sibi commisso & præesse noverit & prodesse. Datum ut supra.

Epist. 453. Ut novum Ecclesie suæ Episcopu præficiat.

TERRACONEN. ARCHIEPISC.

Sicut ex tenore tuarum literarum & suffraganeorum tuorum nobis innotuit, inter multa &c. *ferè in eundem modum ut supra usque ad verbum* prodesse. Volentes igitur ut ipsi Vrgellen. Ecclesiæ metropolitico tibi jure subiectæ per sollicitudinem & vigilantiam tuam salubriùs consulatur, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus Capitulum ejus ad concordem electionem & canonicam faciendam nostra tuæque auctoritate studio siùs moneas & inducas; ne, quod absit, si eligentium se vota diviserint in diversa, Ecclesiæ afflictæ dudum major addatur afflictio, & sic contritione multiplici conteratur. Datum ut supra.

Epist. 454. Ut curet per Canonicos Vrgellenes dignu aliquem virum eligi in Episcopum.

PISANO ARCHIEPISCOPO.

Ad apostolicam sedem, quæ disponente Domino cunctorum fidelium mater est & magistra, super diversis articulis quæstiones dubiæ referuntur, ut quod ab ea fuerit super earum solutione responsum, indubitanter ab omnibus teneatur. Ex parte siquidem tuales nuper suscepimus quæstiones, quòd cum monachum fieri ante unius anni probationem regularis institutio interdicit, monachi & moniales in tua diocesi constituti tam Clericos quam laicos utriusque sexus, sanos pariter & infirmos, religionis habitum volentes assumere, nutu etiam aliquo profitentes interdum absque omni professione recipiunt, quandoque professionem illico facientes. vnde multa mala noscuntur sæpius provenire, cum infirmi ad mona-

Epist. 455. De anno probationis monachorum, & quatenus in cœnobis conjuges recipiantur. Cap. Ad apostolicam. De regularibus & trans. ad religionem.